

**Oratio in Theatro Collegii Regalis Medicorum Londinensium ex Harveii instituto, habita die Octobris XVIII, A.D. MDCCCVIII / A Ricardo Powell.**

**Contributors**

Powell, Richard, 1767-1834.  
Pitcairn, David, 1749-1809.  
St. Bartholomew's Hospital (London, England)  
Royal College of Physicians of London.  
Harveii Instituto.

**Publication/Creation**

Londini : Typis G. Woodfall, veneunt apud Longman, Hurst, Rees et Orme, 1809.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vjwwjnab>


**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



POWELL, R.  
c

ORATIO

IN

THEATRO

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

*LONDINENSIIUM*

EX

HARVEII INSTITUTO,

HABITA

*DIE OCTOBRIS XVIII, A. D. MDCCCVIII,*

A

RICARDO POWELL, M. D.

*SOCIO.*

---

*LONDINI:*

TYPIS G. WOODFALL, PATERNOSTER ROW;

VEVEUNT APUD LONGMAN, HURST, REES, ET ORME.

---

1809.

ORATIO

IN

THEATRO

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS

ET

HARVEII INSTITUTO

AB

DIE OCTOBRIE ANNO A. D. MDCCCXIII

A

RICHARDO POWELL, M.D.

SOCIO



THE HARVEY INSTITUTE

WELLS LIBRARY

1893

327010

VIRO SPECTATISSIMO

LUCAS PEPYS, M. D. BARONETTO,

PRÆSIDI

SOCIISQUE ORNATISSIMIS

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIIUM,

HANC QUALEM CUNQUE ORATIONEM

EA QUA PAR EST

REVERENTIA

D. D. D.

RICARDUS POWELL.

VIRO SPECTATISSIMO

LUCAS PEPPYS; M. D. BARONETTO,

PRESIDI

SOCHISQUE ORNATISSIMS

COLLEGI REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIVM,

HANC QVALEMIVNQVE ORATIONEM

EA QVA PAR EST

REVERENTIA

R. D. D.

RICARDUS POWELL.

# ORATIO HARVEIANA.

---

*PRÆSES SPECTATISSIME, SOCII ORNATISSIMI,  
AUDITORES HUMANISSIMI.*

QUUM prisci et integri moris sit, ut munus Oratoris in hac nostra solenni gratiarum actione Sociorum unicuique quotannis ex ordine attribuat, libentissimo animo in concionem ascendo, ut in hoc cætu frequentiaque doctorum venerabiliumque virorum officio hodierno perfungar. Quippe enim majorum nostrorum consulta et præcepta tantum veneror, tantaque, ut par est, reverentia leges ab iis institutas et a vobis sancitas contemplor, ut quanquam in hoc onere suscipiendo viribus meis male consuluisse videar, tamen susceptum perferre haud recusabo. Nihilo autem minus, quum mecum ipse reputo quam scopuloso difficilique in loco versor, sentio quam necesse est ut vos orem, si quid identidem in dicendo deliquero, id humaniter condonetis. Vitæ enim meæ ratio me assidue hortabatur ut strenue et gnaviter ad Medicinam incumbens, se paratior inde



promptiorque ad illam exercendam evadere sperabam, inter homines potius quam libros et literarum otia versarer. Rebus igitur ita se habentibus, vos, ut mihi persuadeo, benigne me excusatum habebitis, si, quamvis hisce studiis in adolescentia fuerim versatus, nunc forsitan mihi desit unde ista elaborata sermonis venustas et compta verborum elegantia suppeditetur, quam vos ex hac cathedra proferri tam sæpe audivistis, et quæ, publici juris facta, Auctoribus perinde ac Collegio decus amplissimum obtulerunt<sup>1</sup>. Confiteor quidem nihil ad Medicinam promovendam et ornandam magis conducere, quam ista literarum humaniorum cum ea conjunctio, quam a principio tum præceptis tum exemplis majores nostri coluerunt, et unde illam gloriam traxerunt, quæ nunquam a nobis, uti spero, posthac est decessura. Denique, Auditores, in hoc solenni munere obeundo aliquanto audacior mihi videor, quippe quod satis compertum habeo, eo indulgentiorem esse quemque quo eruditior.

Immortalis ille HARVEIUS noster recte atque alte ut opinor commodo publico consuluit cum hæreditatem<sup>2</sup> suam Societati nostræ adhuc superstes attribuit, et cum solenne hoc nostrum mandato suo, quod ratum fore spero, quotannis observandum ipse præsens instituit. Ille nimirum hoc sibi proposuit, ut illorum memoriam qui bene de Collegio meruissent oblivione

<sup>1</sup> Appendix 1.

<sup>2</sup> Prædium suum paternum, quod illi hæreditate obvenerat, Collegii nostri usibus in perpetuum addixit *Harveius* Comitiis Julii 26to 1656 habitis et simul honorarium Oratori quotannis pendi et Sociis annum convivium parari jussit. Ex Instrumentis Fundatoris publicis quæ ad hoc munus spectant excerpta ad calcem adjeci. (Appendix 2.)

eximeret, et dignum pariter inter posteros incrementum suscitarer, quod dignis illos honoribus persequeretur; nempe ut eodem instituto famam eorum, qui artem medicam in hac urbe primaria exercentes, ad summum evexerant, qui doctrina ornaverant, liberalitate ditaverant, commemoratione æterna consecraret; et inde posteris exempla suppeditaret, ad quæ respicientes et virtutem imitantes, ad idem laudis et famæ fastigium semetipsos attollerent; præterea ut quæ officia et quæ munera nos Medici et huic Societati et Reipublicæ debemus in mentem revocaret, concordiam et amorem firmaret, consuetudinem et familiaritatem promoveret, et mutuis benevolentiae vinculis, dando, accipiendo, obligaret; ut denique eam per experimenta ad Naturæ cognitionem viam, quam illustrissimus ille VERULAMIUS<sup>3</sup> jam tum ostenderat, et in cujus vestigiis ipse pari passu institerat, opinione sua commendatam posterorum imitationi singulis annis indicaret.

Ex illo quidem tempore quo Fundator noster LINACER<sup>4</sup> a rege HENRICO OCTAVO edicta impetravit ex quorum auctoritate Collegium Medicorum Londinensium conderet, et nascenti reipublicæ lares et tecta<sup>5</sup> attribueret, adsunt, ut testantur Annales,

<sup>3</sup> *Verulamius* anno 1560, *Harveius* anno 1578 natus est. Ille anno 1626, hic autem octogenarius anno 1657, e vita decessit. Eadem ideo Ætas unum et alterum in utraque sua Scientia perillustrem vidit, et vix *Harveii* in Anatomia experimentis et inventis *Baconi* de Philosophia dogmata et præcepta antecesserunt.

<sup>4</sup> Anno Regni sui decimo hoc nostrum Collegium primum fundavit et multis privilegiis donavit *Henricus octavus* Rex. Postea anno scilicet regni ejusdem decimo quarto Senatus Regni consensu suo diploma confirmavit.

<sup>5</sup> *Linacer* circa annum 1524 domum suam in vico dicto *Knight Rider Street* Collegio in perpetuum dedit.

gloriæ et honoris vestigia, adsunt magna ingenia, et Socii tam exterorum quam suorum laudibus cumulatissimi. Horum plurimi adeo nostrum domicilium amaverant, ut moribus, ingenio, eruditione, durante vita, ornatum, morituri etiam donis amplificaverunt. Ex his quid memorem HAMEIUM,<sup>6</sup> CALDWALLUM,<sup>7</sup> GOULSTONUM<sup>8</sup> aliosque, quorum nomina, una cum meritis nunquam delenda, ipsa immortalitas digito monstrat, et quorum gloriæ vix præconiis nostris ulterius provideri potest, quam ab aliis in hoc loco antehac provisum est.

Neque abs re erit, ut opinor, alios etiam cultu quodam et honore dignari, qui potius ad salutem publicam et medicinam universam quam ad hanc vel illam scholam patrocinium suum contulerunt; quorum munificentia medicinæ studiosis iter patefecit, et viam stravit, qua rectius incederent, dum morborum cognitionem et remediorum vim, discere aut retinere allaborent; quorum itidem beneficiis tirones vinculis scholasticis exsoluti, et somniis excitati adyta naturæ ipsius adire possent. Credo igitur me illius HARVEII qui omnia experimentis et naturæ indagatione ipse firmavit et probavit, animo et voluntati satisfacturum, et hodiernæ diei officio utilissime consulturum, si Fundatores et Patronos Nosodochiorum, ad morbos curandos, et ad

\* *Balduinus Hamey*, M. D. Socius domum hortumque Collegii diris temporibus sub hasta positos redemit 1649 et Collegis suis in perpetuum donavit 1651.

<sup>7</sup> *Ricardus Caldwell*, M. D. Socius simul cum *Joanne Lumleio* Barone circa annum 1582 mutuis sumptibus fundarunt prælectionem chirurgicam et anatomicam.

\* *Theodorus Goulston*, M. D. Socius anno 1637 Prælectionem anatomico-medicam fundavit.

artem medicam usu et exercitatione docendam, institutorum, hac nostra oratiuncula paucis concelebrem. Nec vero quoniam ad eandem rem pertinet, illi omnino silentio prætereundi sunt, quorum per liberalitatem provisum est, ut Magistri in Academia utraque designentur, qui artis præcepta, ipsi prius instructissimi, edoceant, symptomata morborum observationibus et experimentis indicent, atque prælectionibus idoneis scientiæ rivulos undequaque in unum colligant.<sup>9</sup> Et profecto dum opibus suis in ægris sublevandis et medicis instituendis utantur nostrates, præmia illis certa et meritis suis haud indigna augurari licitum est, tutelam scilicet et præsidium inde accepturis, cum morbis, tam diviti quam pauperi communibus ipsi conflictabuntur.

Huic Angliæ regno præ cæteris gentibus laus propria est

<sup>9</sup> Eorum nomina subjecta sunt quorum munificentia, Medicina in Academia Oxoniensi inter Scientias affines sede stabili et domicilio certo collocata est.

*Wolseius* Cardinalis Prælectionem publicam in Medicina instituit circiter annum 1518.

*Henricus octavus* Rex Stipendium Professori inde Regio dicto statuit.

*Jacobus Rex* anno 1617 eundem Professore, ut insuper Hospitali Pauperum apud Ewelme in agro Oxoniensi in posterum præesset nominavit.

*Linacer* noster ipse anno 1524 Oxoniensibus de Medicina prælegit, et duas illic in sua facultate Prælectiones, unam quoque Cantabrigiæ fundavit.

*Ricardus Tomlyns* Arm: Westmonasteriensis Prælectionis Anatomicæ Fundator anno 1624.

*Johannes Freind* et *Matthæus Lee* Medicinæ Doctores Anatomiam in Collegio Ædis Christi, institutis ad hanc finem et Theatro et Prælectore, docendam curaverunt.

*Henricus Comes Danby* Hortum botanicum anno 1669 testamento suo assignavit et *Johannes Sherard*, M. D. anno 1728 stipendium annuum Professori legavit.

Munificus ille Scientiarum Patronus *Georgius 3<sup>tius</sup>* Rex paucis abhinc annis Botanici et Chemici Professores honoribus et stipendiis amplificavit; et nuperrime Prælectiones tres de Anatomia, Chemia et Medicina practica secundum *Aldrichii* testamentum institutæ sunt.

paupertatis et miseriarum cujuscunque generis subsidia munificentissima et liberalissima habere, quorum perpauca quidem publicis sumptibus et tutela aluntur; quodcunque autem splendoris, quodcunque reddituum his est, id privatorum beneficiis quam maxime referendum est. Ex hoc etenim fonte originem suam deduxerunt ædes in singulis pene regni provinciis constructæ, ubi et ægri morbis oppressi curentur, et unde medici ad artem gerendam magis habiles et instructi proficiscantur; ex hoc quoque, quod docti viri<sup>10</sup> in Academiis nostris stipendiis amplissimis ditati, ad medicinam clinicam docendam, nunquam non in promptu sint.

Suis quidem discipulis, ut quod maximi sit momenti, curam pauperum et ægrorum suscipiendam assignavit sacrosancta nostra Religio, et quamdiu, erroribus quamvis obsita et obscurata, tamen potestate sua Ecclesia Romana valuerat, eam sacerdotibus, inter quos, cum raræ essent literæ, Medicina una cum aliis bonis artibus ad aram se receperat, speciatim mandavit.

Nosochiorum,<sup>11</sup> quæ apud proavos nostros fuerunt, parum comperta est ratio, sed locum vicinum, ubi reciperentur ægri et morbis mederetur, in hac urbe, regnante **HENRICO PRIMO**

<sup>10</sup> Præsertim *Henricus Comes de Lichfield* Oxoniæ Cancellarius qui Prælectionem clinicam in Academia sua fundavit anno 1772.

<sup>11</sup> *Hospitalia* pristinorum sæculorum in plurimis Angliæ locis ad Leprosos istius temporis recipiendos designata sunt. Institutiones aliæ eodem nomine insignitæ in usum vel pauperum vel religiosorum, aliæque insuper, quamvis perpaucæ, ut in iis ægri convalescerent, extiterunt.

designatum fuisse traditur, tum RAHERUS<sup>12</sup> quidem, vitiis coopertus, maculam vitæ turpis ut deleret, duo Monasteria DIVO BARTHOLOMÆO dicanda, fundavit, quibus ipse quoque primus præfuit. Horum unum alteri subjectum morbis sublevandis potissimum designavit, et tanta felicitate in hoc promovendo sæculi pietate usus est, ut opus, parvum principio, mole et opibus adauctum confestim vidit. Postea, cum, funditus ever- sis monasteriis, expulsis sacerdotibus, Christi Religionem, ad pristinam castitatem, seu potius, ut voluerat, ad normam a seipso descriptam reduxisset HENRICUS OCTAVUS veteres nosodochii redditus iisdem usibus iterum dicavit, alienis insuper

<sup>12</sup> De *Rahero* ejusque Prioratu varia e Codice MS. in Bibliotheca Cottoniana desumpta retulit *Dugdalius*. Quo anno Ecclesiam suam primum fundavit nonnulli adhuc dubitant, plurimi autem fide dignissimi annum fuisse 1103 et 3tium Regni Henrici primi aiunt. Leges Canonicorum regularium Ordinis Sancti Augustini, (penes quos ante alios eleemosinarum administratio fuisse videtur) ibi fixit, et per viginti duos annos ipse præfuit. Monasterio suo Nosodochium cito adjuxit. Extat Breve Regis Edwardi tertii quo his verbis notatur. Fundatum est "Hospitale prædictum ad omnes pauperes infirmos ad idem Hospitale confluentes, quousque de infirmitatibus suis convaluerint, ac mulieres pregnantæ quousque de puerperio surrexerint, necnon ad omnes pueros de eisdem mulieribus genitos, usque ad septennium, si dictæ mulieres infra Hospitale prædictum descesserint, ac etiam ad diversas cantarias et alias eleemosinas sustentandas et inveniendas." Multa quintiam et mira tam de *Raheri* vita et moribus, quam de conversione, visionibus et votis suis exinde factis, ex eodem MS. ibi depromuntur.

*Dugdale* Monasticon De Prioratu et Hospitali S. *Bartholomæi* in Smithfelde in suburbio Londoniarum.

Prioratus adhuc manent vestigia magna et splendida in Ecclesia Parochiæ majoris Sancti *Bartholomæi* et Clauso sibi adjacente. Ipsa Ecclesia, jam constat e veteris parte solum dimidia et orientali columnis more Normannorum suffulta et arcubus voluta. Manet etiam Ecclesiæ prioris Porta occidentalis privatorum ædificiis quamvis pene obruta, manent Claustra, stabulis, eheu! equorum jam dicata. Hic quoque notandi sint gradus quibus paulatim istius temporis arcus formam circularum cum acuta commutarunt, et Architecturæ posterioris sæculi incunabula et progressus; hic enim variis in locis, dum aliquando columna graciliora fiunt, arcubus acutis ornatus Normannici eleganter subjecti sunt.

spoliis amplificavit et civibus Londinensibus in clientelam tradidit. Numen idcirco divinum adoremus, a quo provisum est, ut prodigi istius tyranni libido et rapina, posteris conservandis tandem conduxerint.

Nosodochium **DIVI THOMÆ** quod huic etiam usui cives prius dicaverant<sup>13</sup> pars erat ingentis illius institutionis, qua ærumnas hominum varias complecti voluit **EDOUARDUS SEXTUS** curam et imperium civibus redditurus. Bonarum enim artium progressui, et difficultatibus illis, in quibus tum temporis regnum versabatur, sublevandis intentus, curavit, ut adolescentuli recte instituerentur, ævo maturi artibus necessariis instruerentur, pauperes occupati tenerentur, morbis autem et senectute fracti opem et subsidium paratum invenirent; sunt quædam illius tam magni corporis membra, sejuncta quidem, sed quæ in nostram usque diem, illis muneribus, quæ præscripsit cuique, felicissime et honoratissime inserviunt.

Neque nobis, res enim maximi momenti et ponderis est, prætermittendum volo, solitos esse eos, qui in his institutionibus rebus administrandis præficiuntur, a societate præcipue nostra medicos quibus curam suorum committant, eligere, unde mutuas opes, mutuam sibi gloriam et stabilitatem, utrinque adepti sunt. Ipse **HARVEIUS** inter Bartholomæanos id munus explevit,<sup>14</sup> quo mihi nunc fungi maximi est honoris, et ita placuit

<sup>13</sup> Pennant, Of London, Ed. 1, p. 51.

<sup>14</sup> Cum omnia utcumque tenuia, quæ ad talem tantumque virum spectant, haud parvi momenti sint, et cum Auctor doctissimus Vitæ *Harveii* operibus suis præfixæ in paucis errare videtur, excerpta ex Annalibus Nosodochii Sancti *Bartholomæi* addam. (Ap-

**HAMEIO**<sup>15</sup> hæc mutua nostra conjunctio, ut, quantum in ipso fuit, stabilem eam et sempiternam fore curavit; prædia nempe sua assignavit ad perpetuum stipendium medicis illis exsolvendum qui ex hac Societate ad Nosodochiorum curam eligerentur.

Eodem more quo indies augentur Regni opulentia et populi frequentia, Liberalitas simul erga egenos morbisque oppressos innotescit, cujus pro exemplo sint hujusmodi Institutiones in hac urbe fundatæ et sustentatæ. Inter has aliquas nulli secundas **UNIUS**<sup>16</sup> munificentia dicavit, et copiis suis, quæ perpetuos

pendix, No. 3.) In his quidem post annum 1633 nulla de *Harveio* nostro mentio invenitur: quo igitur anno Medici officium deposuit adhuc incertum est. Proxima in ordine de Nosodochii Medicis sequentia occurrunt die Apr: 9, 1648, et Doctorem *Clarke* tunc temporis Medicum fuisse referunt.

*Vide p. 8, l. 8. Edwardus 6tus Rex Charta sua, die Junii 26mo, 1556, Civibus concessit domum Bridewell Place dictam, et aliis prius a Patre suo donatis adjunxit sub titulo Hospitalium Edwardi Regis Angliæ sexti, Christi, Bridewell, et Sancti Thomæ Apostoli. In his quidem " Neque Pueri adhuc existentes in sua infantia carebunt proba educatione atque " institutione, neque cum ad majorem ætatem adoleverint, destituentur honestis occa- " sionibus atque occupationibus, unde et ex quibus ipsi sese exercere possint in aliqua " bona facultate et scientia, pro commodo et utilitate reipublicæ, neque morbosus aut " ægroti cum recurabuntur, atque bonæ valetudini restituentur, ignavi sedere et otiosi " divagari in republica, sed simili modo ponentur et cogentur ad labores et honesta atque " salubria exercitia."*

<sup>15</sup> Appendix 4. Excerpta quoque ex hoc *Hameii* instrumento huic orationi adjeci. Ex eo tempore unus solummodo e Nostris *Hameii* dono potitus est. *Salisbury Cade*, M. D. Socius a Collegii Electis ut mos est nominatus, ad curam Nosodochii Sancti *Bartholomæi* die Oct. 14, 1708, electus est, fide sua prius gubernatoribus data se hoc *Hameii* munus loco stipendii Medicorum usitati ad valorem ut nunc est 33l. 6s. 8d. accepturum fore.

<sup>16</sup> *Thomæ Guy* Armigeri Munificentia Nosodochium fundavit suo nomine designatum anno 1721.



sumptus suppeditarent, locupletavit. Sive igitur spectemus, vel numerum sublevatorum, vel facultates huic usui dicatas, vel studium quo administrantur, nusquam Europæ gentium institutiones his pares facile inveniemus.

Vix nisi in Urbibus primariis diversæ morborum formæ atque figuræ in studiosorum commodum una colligi, aut cadaveribus secandis humani corporis fabrica investigari potest. Apud illas autem artis præcepta percipere, et usu et exercitatione consequi, eodem tempore concessum est. Neque hoc tantum: sed medicum etiam decet, ut mos est ingenuorum, prius in Academia, educatione, philosophia, et doctrina liberali, institutum esse, et ad scientiam suam his prius imbutum et expolitum descendere. Ibi quinetiam primitias medicinæ auditor accipiat, nam, per experientiam doctorum et præcepta peritorum itinere præmonstrato, ipsi brevior fiet labor. Magistros ad hoc quoque munus designari fundatoribus laus est, ut illi tamen officiis suis re non nomine tantum perfungantur, id ab Academiarum nostrarum gubernatoribus providendum est. Nos quidem Oxonienses nihil ad medicinam excolendam sacris illis sedibus deesse, immo larga manu quodcunque facile desiderares, suppeditari, scimus; sed nihil studii, nihil operæ, nihil facultatum, in hisce muneribus obeundis conferri, invitus, coactus, fateor. Stipendia et insignia manent, sed in quibusdam vix et ne vix quidem habentur ex more præscriptæ prælectiones, vix identidem inter officia Professoris æstimatur ibidem commoratio. Academias nostras summa veneratione colendas, et iudico, et mihi propono, longe igitur absit ut, si quid ipse eas admoneam, id pro opprobrio dictum usurpetur; sed dolore afficior quoties studiosam medicinæ juventutem, se apud externos nobilissima

hac arte instituentem, quoties, aliis in locis, Magistros in docendo habiles et strenuos, auditoribus, honoribus, stipendiis, laborum præmiis insignitos, nostros in inertia conquiescentes aspicio, quin, se respiciant et tam utile exemplum apud suos imitatione haud prorsus indignum judicent, quin, ne obtrectatoribus nostris plures et justiores tanquam ansas ad reprehendendum suppeditent, medicinam ultra languescere prohibeant, nec quo in loco nova virtute<sup>17</sup> novis viribus cæteræ artes vigescunt, hæc una debilis et prostrata videatur: ipsi potius, in statione jam satis diu dormitantes, ut expergiscantur, per officia, per fidem, per temporis necessitatem, per Academiæ honorem, palam omnibus obsecro obtestorque.

Officia Medici late patent, illi etenim præ cæteris ingenii opus, et doctrina undequaque exculti et imbuti; illi semper aliquid anquirendum; illius erit morborum speciem indolemque, varietates ac discrimina, prægressum, decursum, exitum non ignorare; similitudines comparare, et præsentibus adjungere et annectere futura; res narratas acumine pene forensi perscrutari, observatas judicio acri perpendere; omnia anxium et intentum agere; consilium ex tempore capere posse, et occasiones cito et opportune arripere; neque ad magistrorum scripta tantum recurrere, sed e proprio penu etiam in præsentia depromere. Illi potissimum benevolentia illa civili opus est, qua usus animos morbo irritatos mulceat et conciliet, pacatos dirigat, nec plus medici quam amici partes agat. Minime autem inter tantas animi et ingenii dotes id alicujus esse ponderis habeatur ut inter

<sup>17</sup> Testor præsertim ea quæ ad gradum in Artibus capessendum necessaria fore paucis abhinc annis constituit et condixit Academia *Oroniensis*.

Aulicos verseretur aut Nobilium potissimum favori, qui ex animo sæpius infirmo quam ex corpore dolent, blanditiis et inhonestis artibus se commendet; sit illius prima laus, artem salutis humanæ præsidem, probe ac intime noscere, et ægrotis opitulari posse; nam, nisi tali tantoque fundamento stabilitus sit, vani erunt honoris et dignitatis gradus, vana laus ornate colloquendi.

Denique si quis vastum Medicinæ campum diligenter contempletur, et humani animi atque corporis vires in muneribus suis obeundis recta ratione æstimet, unum omnia præstare posse, haud facile sibi persuadebit, et se potius inter limites certos cohibendum judicabit; quamvis etenim omnes Medicinæ partes ita connectantur ut omnino separari non possint, et in confesso sit medicum oportere nihil quod ad artem suam spectet prorsus ignorare, tamen hanc medicinæ disciplinam in varias partes usus diduxit, et diversa diversis studia, Medicis, Chirurgis, Pharmacopolis, impertivit, adeo ut sibi invicem opitulando universam augeant et promoveant scientiam. Sicut in aliis artibus Magistri inter plures suum cuique munus exercitatione docto partiuntur, ut inde perfectior pars quæque reddatur et opus quam citissime perficiatur et absolutissimum evadat.

Huic Artis divisioni, magis magisque nostris temporibus insistendum erit, cum viris, ut ipsi fatentur, in hac re prorsus ignaris et indoctis opus summum et grave, scilicet ut inter alia de Exercitus curatione et administratione medica inquirant, a Senatu concessum sit. Illi enim, cum tales essent, hominum novorum et privata tantum commoda respicientium dictis, facile ac temere auscultantes, peritorum consilia et monita protinus rejecerunt;

alumnos suos artem medendi rapere potius quam per moras literarum sectari voluerunt, et minoribus illis artis officiis quæ manus tantum calliditatem requirunt, et usu brevi vel ab indoc-tissimo arripiuntur, ingenuam doctrinam, et vires disciplina et studiis maturatas posthabendas esse judicaverunt. Sciant au-tem, si forsitan optimorum et instructissimorum præcepta et exempla tandem apud eos aliquid valeant, longe aliter rem se habere. Satis enim perspectum est, eum medicum absolutum fieri, non qui magnam hominum multitudinem morbis conflic-tantium oculorum acie leviter perstrinxerit, aut remedia ab alio quodam præscripta sumenda exhibuerit, sed qui in se erudiendo magnam adhibuerit diligentiam, bonis illis scilicet literis, quibus aut firmare virtutes, aut acui ingenium possit, qui magnam denique in medicorum tam veterum quam novorum opiniones pensitando curam et laborem insumpserit; hæc sunt propria Academiis studia et quibus, harum umbris seclusus, nusquam alio tem-pore tam commode vacaveris. His autem instructus, nihil in-dignum, nihil vafre aut clanculum, nihil injuriose aut invidiose faciet, neque de aliorum fama detrahet ut addat suæ. Expe-rientiæ suæ fines, qui quam sint angusti nemo, vel ætate pro-vecta, non confitetur, longe transibit, observationes medicorum qui in aliis regionibus, aliis et sæculis floruerint, cum suis com-parabit, et sapienter perspicere, prudenter consulere, fortiter agere, utcunque novæ res se habeant idoneus erit; et sive in urbe fuerit sive in curia, sub patrio vel mutato cælo, sive inter arma sive inter togas, omnibus suis officiis par erit, et ad artem gerendam extemplo et feliciter se accommodabit.

Quod ad annum nostrum spectat: Primum vobis, Socii,

lætus animi gratulor, nostrorum nullum hodierno questu prosequendum et propter merita et virtutes suas laudandum ex hac vita demigravisse. Paucis quidem abhinc annis multi fato succubuere, qui nobis et decori et gloriæ fuere, et memoriam nominis sempiternam reliquerunt; non ideo tamen nobis alii deficiunt qui annis venerabiles, honorum saturi, doctrina pollentes, Collegium hoc suum adhuc ornant et fulciunt.

Annus etiam præteritus quibusdam rebus non consideratione et contemplatione minus quam gratulatione dignis insignitur. Recentia sunt quædam Collegii Acta quæ aciem auctoritatis suæ non amplius hebescere, sed ad pristinam virtutem revocari demonstrant, qua re nihil magis opportunum ad medicinam tuendam et sustentandam præstari potuit. Non sæculi nostri est in Collegiis otari, et diplomatibus indormire; omnibus vitæ officiis, et illis præsertim quæ scientiæ causam promoveant, strenue gnaviter et constanter nunc temporis defungendum est. Vos quidem ut medicinam cæteris philosophiæ partibus æquaretis, summis viribus connisos fuisse probant Acta Collegii literaria iterum restaurata, et a Statutis inter officia nobis imposita et mandata; probat insuper Pharmacopœia summo omnium labore et diligentia recensita, et jam nunc in lucem proditura. Si forsitan sint quibus in tali tantoque opere parum profecisse videamini, et præsertim in iis rebus quæ nova, Philosophia, Chemia, Botania, nuperrime excogitaverunt accommodandis, sciant vos omnia consulto et de industria fecisse; in nominibus rerum mutandis summam cautelam adhibuisse, et, nisi accurate et stabiliter id facere potueritis, prorsus intacta

usitiora reliquisse ; in omnibus denique Artis commodum et usum quotidianum præsertim spectavisse.

Vobis etiam Senatus Consulta et Regis optimi Patroni Mandata illud JENNERI inventum perscrutandum commiserunt, per quod, tutamen aliquod tandem et propugnaculum comparatum est, contra infestam illam pestem atque perniciem, cui per duodecim abhinc sæcula totus terrarum orbis populanti succubuerat. Quum Variolæ, venenis morborum plurimorum dissimiles, haud inter certos cœli vel loci limites se continerint, sed latiore etiam quam externa bella vel civiles tumultus stragem ediderint, magnum sane et reipublicæ utilissimum opus suscepistis, quo in perficiendo, tantam curam ne aliquid intactum relinqueretur adhibuistis, ut dubitare nequeo quin sententiam vestram posteritatis experientia comprobabit. Quodcumque testes aut scriptis aut dictis protulissent, quæcunque illis opposita fuerint et objecta, his omnibus judicio certo ponderatis, et causa utrinque perorata arbitrium pronunciavistis<sup>8</sup>. Et quamvis perpauca quædam exempla producantur, ubi promissis suis vix steterit novus hic morbus, et in hac re sicut in aliis omnibus Natura suis legibus absoluta ludere identidem videatur, quamvis inter se nonnulli quidem disceptent, et plus adhuc experientiæ et temporis poscant, sententia tamen nostra, documentis novis indies confirmata, ne posthac labefactetur, nihil est cur timeamus. Hanc rem Senatus nuper in tutelam suam recepit, et patrocinium et censum stabilem assignavit, ut, talibus sub auspiciis, studium flagrans et simul nocens, contentio acris et prava mansuescat; ut veri fiat indagatio; ut opposita et ob-

<sup>8</sup> Report of the Royal College of Physicians of London on Vaccination. Ordered to be printed 8th July, 1807.

jecta, si quæ sint, anquirantur, et sine amore aut odio ad amussim examinentur; ut leges et ratio morbi vix satis adhuc intellecti penitus investigentur; ut populo sit fiducia et præsidium salutis.

